

Breuiar. Ord. Prædicator. Ecclesia. Et quomodo Breuiarium Ordinis Prædicatorum per Clementem VIII. approbatum habet hæc verba: *Firma sententia, secuta, & integerrima doctrina?* Ac demum quomodo tota Ecclesia precatur Deum in oratione S. Thomæ dicens: *Da nobis quæsumus, quæ docuit, intellectu conspicere?* An Ecclesia precatur Deum pro intelligentia errorum, vel falsitatum? Teneamus ergo necesse est, nullum errorem, nullamvè falsitatem esse in libris S. Thomæ, ab ipso recognitis, & emendatis. Quod dico propter illas assertiones, quas S. Thomas scripsit retractando priores: & priores retractauit, non quia erroneas vidit, sed quia falsas. Si quæ autem propositiones in libris S. Thomæ inveniuntur erroneæ, aut manifestè falsæ, quas ipse non retractauit, non prodierunt à S. Thomæ, sed fuerunt insertæ eius libris, vel ab hæreticis, vel ab indoctis, aut impressoribus, vt significauit Pius V. in sua Bulla præfixa Indici operum S. Thomæ. Quam ob causam mandat omnibus impressoribus sub excommunicatione latæ sententiæ, vt non imprimant libros sancti Thomæ, nisi iuxta impressionem Romanam, auctoritate sua correctam, & factam.

Pius V.

Obijciunt contrarij, quod magni Theologi, scilicet Ricardus, Scotus, Durandus, Henricus, & similes posteriores, notauerunt in doctrina S. Thomæ propria, quasdam sententias falsas, & absurdas, vt liquet ex eorū scriptis. Respondeo, illos existimasse tales eas assertiones ob ignorantiam suam, qua nec veritatem, nec mentem S. Thomæ attigerunt: vt etiam ex eo liquet, quod alij æquales, si non maiores Theologi, easdem assertiones, & veras esse cognouerunt, & facile ab impugnationibus, & absurditatibus vindicauerunt. Et mihi discipulorum omnium S. Thomæ mi nimo, sed veterano, & supra quadraginta annos in Palæstra Scholastica lectionibus, ac disputationibus exercitato, per gratiam Dei videntur vera, ac retinenda omnia, & singula, quæ S. Thomas in suis libris digessit, vt in progressu monstrabo, si tamen Domino Deo placuerit, non obstantibus quibuscunq; & quorumcunq; argutijs, & impugnationibus suo iudicio validissimis. Nam Deus qui talé doctrinam ore, & opere S. Thomæ effudit in Ecclesiam suam, ad eius vtilitatem, dat intelligere, ac defendere his, qui humiliter, & ad gloriam diuinam student illam: non ita illis, qui de suo ingenio præsumentes tractant illam.

Iterum opponunt, plures assertiones S. Thomæ proprias fuisse damnatas ab Episcopis Parisiensibus cum Clero, ac cœtu Theologorum Vniuersitatis, vt patet in libro propositionum damnatarum Parisijs: at omnis propositio dā nata ab Episcopo cum consilio suorum Clericorum, & sub anatematate prohibita, censetur damnata, & anatematizata per Ecclesiam Romanam, vt dicitur in Decretalibus, tit. de

Hæreticis, cap. Ad abolendam: ergo Ecclesia Romana habet dictas assertiones S. Thomæ tanquā damnatas, & anatematizatas. Respondeo, quod talem damnationem, & sententiarum promulgationem, annullauit postea Stephanus Parisiensis Episcopus cum Archiepiscopo Viënenfi, & Clero, & cœtu magno Theologorum, tam secularium, quàm regularium, dicendo: *Dictam damnationem fuisse iniustam doctrinæ S. Doctoris denigrationem, veritatis occultationem, & S. Romanæ Ecclesiæ aliqualem debonationem: & S. Tho. esse vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, fontem Doctorum, candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & Scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen vident: nec non compertum esse, ipsum eximium Doctorem nihil sensisse, ac uisisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei, vel bonis moribus aduersaretur: sed eius doctrinam esse salubrem, & sanam.* Habentur literæ huius annulationis, ac testificationis, initio Indici operum S. Thomæ impressorum Romæ auctoritate Pij V. Vnde liquet, quàm ignoranter, vel etiam impie egerint illi, qui talem damnationem contra doctrinam S. Thomæ texuerunt: quos imitati sunt alij nonnulli, qui scribentes post annulationem præfatam, voluerunt defendere præcā illam damnationem, tanquā benè factā: & nunc etiam imitantur moderni Theologi, qui dolentes de gloria doctrinæ S. Thomæ cōposuerunt Memoriale ad Iudices veritatis, dicentes in eo, vndecim assertiones per Ecclesiam repudiatas reperiri in doctrina S. Tho.

Stephan. Episcop.

Pius V.

DUBIUM V.

An in doctrina S. Thomæ sint aliqua sententia in intelligibiles.

Non pauci ex modernis Theologis, nescio quo spiritu ducti, audent dicere, multas assertiones inueniri in doctrina S. Thomæ, quæ sunt in intelligibiles, ac ideò relinquendæ. Sed eas nunc nō refero, quia referuo in propria loca assumendas, examinandas, ac declarandas. Quare modò solùm dico, totam doctrinam S. Thomæ, tam Theologicam, quàm Philosophicam esse intelligibilem, & nullas continere assertiones in intelligibiles.

Quod sic in primis confirmo. Tota doctrina S. Tho. est infusa à Deo, est vera, est sine villo prorsus errore, ac falsitate, etiam quoad singulas suas assertiones, vt ostensum est in dubijs præteritis cum testimonijs Ecclesiæ: at nihil tam intelligibile, vt verum, & infusum, & ab erroribus liberum: ergo tota doctrina S. Thomæ quoad singulas suas sententias est intelligibilis. Deinde Ioan. XXII. in Bulla Canonizationis ait, quod S. Thomas omnia opera sua scripsit clara, cum esset sciens: & famosa cum esset cognitus, clara auté doctrina nequit esse in intelligibilis. Clemens VIII. in Epist. 2. ad Neapolitanos pro S. Tho. in patronum assumendo dicit: *Sanctum Thomam mira perspicuitate scripsisse ingentem librorum numerum:*

Ioan. XXI.

Clemens VIII.

At